C EX GALENO.

Chelidoniũ minus cum acrius ſit maiore, illitum confeſtim cutem exulcerat, ungueśq; ſcabros eijcit. Succus eius per nares purgat, utpote uehemẽter acris exiſtens.

APPENDIX.

Recentiores ea herba in exterendis ficubus mariſcísue, & ſtrumis, magna experientia utuntur, ut inde certè Scrofularia nominari, quemadmodũ diximus, meruerit. Antiquus etiam ac manuſcriptus herbarius, ſub nomine tamẽ Pedis uituli, quo Aron nominatur, ſe à quodam qui expertus ſit cognouiſſe ſcribit, quod hæc herba contra mariſcas ac ſtrumas mirificè proſit.

DE CHAMAEDRY▸ CAP▸ CCCXXXIII▸

NOMINA.

Serratula. *Chamædrys unde dicta.* *Serrata.*

XAMAIΔPYΣ græcè, Triſſago latinè, officinis græcum nomen inſedit, uulgo Quercula minor, & à ſerratis foliis Serratula appellatur. Chamędrys uerò Græcis dicta eſt, quaſi humilis ac terreſtris quercus, quod ſcilicet folia Quercus habeat, & huius reſpectu quaſi humi repat. Sunt qui Serratã nominatã ideo putent, quod ab ea ſerra inuenta ſit. Dioſcorides hanc Teucrium etiã, propterea quod Teucrio ſimilis admodũ ſit, appellari à nõnullis ſcribit.

GENERA.

Etſi Dioſcorides alijq; ueteres unicã faciant Chamędryn, tamen nos, quia plures herbas ad eius formam ac picturã accedere uidemus, duo eius genera produximus. Quorum ſanè primum uera Chamædrys exiſtit, & germanicè Klein Barbengel nominatur. Illius autem rurſus duo ſunt genera. Vnum enim quod præ cæteris o-
D mnibus picturæ Dioſcoridis maximè accedit, mas dicitur, alterum uerò fœmina: neque enim aliter nobis diſcrimen indicare licuit niſi ſexus ratione. Alterum genus uulgaris eſt Chamædrys, quod iterum duũm eſt generum, mas ſcilicet & fœmina. Mas germanicè Erdtweirauch / fœmina uerò Gamenderle / Blawmenderle / Vergiß mein nit / appellatur.

FORMA.

Frutex dodrantalis, foliis exiguis, forma & diuiſuris quernis ſimilibus, amariſq;, flore ſubpurpureo, exili, ſemine in calyculis atro. Quæ utique deſcriptio ita herbis illis quas pictas exhibemus reſpondet, ut nulla prorſus nota reclamare uideatur. Sunt enim herbæ palmum altæ utplurimum, exili folio, effigie & diuiſura Quercus, amaro, flore penè purpureo & exiguo, ita ut mirari ſatis non poſsim, cur nonnulli alteram ſpeciem genuinam Chamædryn eſſe negent, cum tamen Germanica etiam appellatio pulchrè ad antiquum atqueadeo græcum nomen alludat. Sed in-
Obiectionis ſolutio. ſtabit forſitan quiſpiam dicens, Chamædrys Dioſcoridis palmum alta eſt, hæc tua menſuram hanc excedit. Fateor ſanè, attamẽ non multum exuperat. quod ſi etiam plus exuperaret, non tamen hoc nomine alterius ſpeciei herba putanda eſſet: neq; enim adeò ſtatam atque certam menſuram herbis tribuit Dioſcorides, ut quandoque ultra citraq; conſiſtere non liceat: uerum cum alicui herbæ menſuram adſcribit, id ea ratione facit, ut maiori parti indiuiduorũ illius ſpeciei quadrare exiſtimet. In prioris itaque inopia, alterius uſus eſſe poteſt.

LOCVS.

Naſcitur aſperis & petroſis locis, interdum etiam in montoſis & campeſtribus ſolidis.

TEMPVS.

Primum genus Iunio & Iulio menſibus floret, Alterum autem uere potiſsimũ. Carpuntur ſemine prægnantia.

TEMPERA-



LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRARY